

132

130

136

126

141

121

181

081

231

031

117

nunc in fundo maris deambulat, ad se naves transeuntes mare
deorsum trahere satagit, ut antiquas exerceat rapinas. Quapropter illa loca, in quibus naves absorbentur, et ubi sunt
occulti gurgites, sicut est locus in insulis Gozopolis, ut patet
fol. 13., dicuntur charybdes, et periculum charybdum dicitur,
a Charybde vetula, quam antiqui credebant in talibus locis
naves attrahere. Est et aliud periculum, quod quidam Gulf,
nominant, quod contingit, quando venti erumpunt de aliquibus
montium cavernis adeo importune, quod naves in latus
evertuntur. Quoddam aliud periculum nominant Grupp, quod
navigantes incurront, quando duo venti contra se invicem
pugnant, et navis in medio consistens contrariis procellis
agitatur. Aliud insuper periculum evenit, quod nominant
Troyp, a pisce troys: hic naves sentiens de fundo emergit,
et navem rostro rodit et perforat, habet quippe rostrum ad
modum terebri, et nisi a navi repellatur eam perforat; non
autem a navi avelli potest, nisi per imperterritam inspectionem,
ita quod aliquis de navi se inclinet super aquam, et irrever-
berato aspectu intueatur in oculos piscis, quem piscis vice
versa terribiliter inspicit. Si autem inspector trepidat, et
retrahere visum incipit, mox bellua consurgit et repente eum
attrahit deglutiens sub aquis. Et tantum de maris periculis
dictum sufficiat.

De navi, in qua peregrini transfretant, quae Galēa
dicitur, qualis et quanta sit.

Ende

Anfang

Varias et diversas habet mare naves: grandes, mediocres
et parvas. Primo enim tempore non erant in mari nisi parvae
naviculae, usque ad Jasonem, cui Argus grandem fabricatus est
navem, in qua cum sociis Argonautis Colchydem navigavit.
Deinde Aminocles triremos Corinthiis fabricavit contra Cor-
zyrenses. Porro primum navium inventorem dicunt fuisse
Athlantem in Libya et navigasse. De illa tamen navium
specie solum loqui intendo, in qua peregrini terrae sanctae
solent mare transire, quae galēa dicitur: quod nomen
hoc navigii genus etiam in sacris canouibus habet, ut patet
de Iudais et Sarracenis. Et est una de mediocribus maris